DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO.

, 1184 b 8
2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DIABETE MELLITO;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS HULME,
ANGLUS;
SOCIET. RÉG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR. ET PRÆS. ANNUUS;

" Non autem ſumus ii quibus nihil verum eſſe videatur, ſed
" ii qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus."
CICERO.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.
1798.

43.
10. 10.
239.

VIRO EGREGIO

JOANNI STORER, M. D.

SUMMA INGENII GLORIA PRÆDITO;

APUD NOTTINGHAMIAM

ARTIS MEDICÆ PERITIA,

MORUMQUE COMITATE,

INSIGNI;

HOC OPUSCULUM

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

D. D. Cq.

AUCTOR.

NECNON

THOMÆ WRIGHT,

VIRO AMICISSIMO,

MAXIMA MORUM SUAVITATE

PRÆDITO;

ARTEM CHIRURGICAM

NOTTINGHAMIÆ

FELICE SUCCESSU, ET PERITIA,

EXERCENTI;

PROPTER MULTA BENEFICIA,

IN EUM COLLATA,

HANC OPELLAM,

GRATI ANIMI PIGNUS

SACRAM VULT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 6. lin. 15. *pro* gravite rangit, *lege* graviter angit.
16. — 1. *pro* ad explicandum originem, *lege* ad explicandam originem.
18. — 12. *pro* ſimillimum, *lege* ſimillimam.
19. — 3. *pro* ſequelatur, *lege* ſequebatur.
20. — 14. *pro* accommodatum, *lege* accommodatam.
24. — 10. *pro* objiciuntur, *lege* objiciantur.
Ib. — 11. *pro* appareant, *lege* apparent.

To Dr. F. Carrie with the best
compts, with the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO.

Auctore JACOBO HULME.

SATIS conſtat, inter nonnullos hujuſce ſeculi medicos, hanc vulgò opinionem valere,—plures apud nos, quam inter majores noſtros, laborare Diabete: nec deſunt quidam, qui ſeſe cauſam inveniſſe crediderunt. Fruſtra, tamen, ac præmature factum fortaſſis nobis videatur, ſi aliquis cauſam vult explorare, cum res ipſa adhuc eſt in dubio; quippe qui hunc morbum, etiam hodie, vel rariſſime exo-

riri videmus; et in libris, a Galeno, Aretæo, Cælio Aureliano, multiſque aliis auctoribus antiquis, conſcriptis, mentionem de hoc morbo factam reperimus. Poſtremò, veri quoque ſimile eſt, Diabeten ab his ſcriptoribus multo frequentius deſcriptum obveniſſe, ſi vera morbi ſigna juſto diſcrimine melius fuiſſent cognita; namque, jure perſuaſum eſt nobis, laborantem hoc malo, pro homine Bulimiâ afflicto, nonnunquam per errorem fuiſſe ſumptum; vel potius, ſub hoc falſo nomine, verum Diabeten dictum eſſe; cum æger aut urinam neglexerit auctam, aut ad cibi potûſque quantitatem conſumptam, retulerit.

DEFINITIO.

Definitio autem Diabetis, alia ab aliis ſcriptoribus, data fuit; ſed, quæ nobis optima videtur, his verbis exprimi poteſt.——Urina aucta, et ſubdulcis;—ſitis inſatiabilis;—deſiderium cibi

cibi majus,—alvus adſtricta,—cutis arida et plerumque ſquamoſa.

HISTORIA.

Primus Diabetis ortus ſæpius quidem obſcurus; neque incipientis morbi ſigna, quod et tardiora, et vix notanda ſunt, ad ullum tempus potiſſimum referre poſſumus.—Cui, tamen, corpus hoc malo affectum eſt, ille, primum, plerumque ſentit magnam et inſolitam ſitim, ac micturitionem, brevi intervallo, redeuntem. At urinæ copiam æger incautus haud ulli tribuit morbo, ſed effectum ex liquore, ad levandam ſitim, largiter ſumpto, quaſi neceſſarie oriri putat. Poſtea, tamen, urina adeo abundè et frequenter reddita eſt, ut, tandem, ipſius ægri menti anxiæ injiciat curam; et re per experimenta exploratâ, liquor excretus longe alius ac in ſano corpore natura profert,

inventus eſt. Refert, enim, ſapore, ac colore, miſturam raram, ex aqua et aliquantulo mellis compoſitam; quæ fere ſemper clara, et pellucida, nonnunquam etiam ſubflava eſt. Multi cibi voracitèr appetens æger eſt, nec eodem expletur, ſed, a ſtimulo morbido ſemper latranti victum ſtomacho, exoptat indulgere. Magna urget ſitis, et, plerumque, cum auctâ urinâ, ipſa quoque augetur.

Aridum quamvis non ſit os, ſalivam tamen nonnunquam ſpumoſam, ac viſcidam, difficulter expuit; quæ, linguam ſapore ſubdulci, necnon etiam ſubacido, frequenter afficit *.

Gingivæ fiunt molles, atque tumidæ; ac magis rubent, quaſi hydrargyro affectæ; dentes quoque labefacti, et, ut hebetati ab acido, dolent †. Ingruit dolor capitis, cum frequenti vertigine;

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. i. p. 71.

† Ibid. p. 3.

vertigine; deficiunt oculi, et, anteactarum rerum memoria extincta, mens quoque laborat *. Moleſtia, cum ſenſu ponderis quodam, ac debilitate in regione renum, ſentiuntur; et, in abdomine ſæpe motus inſolitus, qui ſurſum propagatus, globum, haud parum apte, hyſtericum refert †. Alvus adſtricta eſt, et dejectiones, abſque fœtore, albidæ vel etiam ſubviridi colore, nonnunquam apparent ‡. Pulſus raro frequentior ſolito, interdum tamen, et inæqualis; ac palpitatio etiam cordis nonnunquam comitatur §. Cutem aridam et induratam chartæ membranaceæ, non parum apte comparemus; et cuticula ſimul in ſquamulas furfuraceas parvas plerumque eſt elevata ‖. Rubent genæ, ut in febre hectica: oculi nonnihil protruſi, ac nitore

* Rutherford, Prælect. Clin.

† Zoonomia, vol. i.

‡ Rollo's Caſes of Diabetes, vol. i. p. 3.

§ Rutherford, Prælect. Clin.

‖ Med. Obſerv. & Inq. vol. v.

nitore ſolito privati, ſubflavi, et ſqualidi, apparent *. Confectum macie tabeſcit totum corpus, languent vires; animuſque depreſſus, nec movetur, nec agit quicquam; ſed, mœſtus, quaſi omni ſpe exciſa, ignavo otio ſolummodo indulgere gaudet.

Quum jam aliquandiu morbo laboratum fuerit, ſitis adeſt immodica, nec extinguenda quidem; quam ſenſus caloris moleſtus, ac vix tolerandus, in viſceribus abdominalibus, unà plerumque comitatur. Micturitio multo frequentior evadit, majoreque cum dolore urina redditur; ac, facultate retinendi paulatim amiſſa, tandem indeſinenter e veſica guttatim deſtillat. Jam in regione renum moleſtia multum incrudeſcit, et ægrotantem gravite rangit. Arteriæ etiam, 120, uno temporis puncto, pulſationes edunt. Palmæ, ac pedum plantæ, calore urente affectæ ſunt; ac pulchra humani

* Rollo's Caſes of Diabetes.

ni corporis fabrica, macie ac tabe prorſus corruit collabefacta. Tument partes extremæ corporis inferiores; et æger nonnunquam etiam laborat aſcite. Tum abdomen tumefactum, et, liquore effuſo, fluctuationem plane oſtendit; quod, poſtquam quinque aut ſex dies duraverit, totum evaneſcit; ac, fine morbo mitiore aut graviore reddito, rurſus redibit *. Tandem ſubacidus, et ſapore et odore, de toto corpore defluit ſudor †: et æger, cibi faſtidio captus, ad poſtremum febre hectica implicitus, cadit.

Hic morbus, nullis aliis comitantibus ſignis, præter ſitim, magnam famem, et copiam urinæ ſubdulcis largius redditam, per plures annos nonnunquam duravit. Dobſon tamen, ſcriptum memoriæ tradidit, ſe unum vidiſſe hominem

* Lond. Med. Obſerv. & Inq. vol. v.

† Myers de Diabete.

nem, qui Diabete afflictus, vel quinta hebdomade, morbo peremptus fuerat *.

Ea eſt forma morbi, quâ ſeſe plerumque induit Diabetes; tamen inter omnes jam ſatis conſtat, hunc plerumque invadentem morbum, primò, adeo lento procedere paſſu, ut vix cerni poſſit: ſed in quibuſdam inſignibus exemplis, ſtomacho non deturbato, nullave alia functione læſa, inopinantes repente, et quaſi ex improviſo, adortus eſt †; et, poſtea, ſuo in ægrum imperio durante, exacerbationes, ac remiſſiones, plane manifeſtavit ‡. Richterus, vir doctus, ac fide dignus, confidenter affirmat, ſe quoſdam Diabete afflictos vidiſſe, qui, per cordis palpitationes, motuſque in corpore inſolitos, morbum denuo redeuntem, vel nova vi aggreſſurum, ſemper prædicere potuerunt ‡.

In

* London Med. Obſerv. & Inq. vol. v.

† Richter's Med. and Surg. Obſerv.

‡ Ibid.

In quibuſdam etiam exemplis raris, urina colore lacteo, et chylo haud diſſimilis, reddita fuit: in aliis autem exemplis, non modo, non copioſior præter naturam, extitit; ſed, etiam, parcior fuit ſolito*; ſaccharum, vero, doteſque alias oſtendens, quibus laborantes hoc malo fere ſemper diſtingui poſſunt.

Quidem auctores quoque pelliculam ex oleo tenuem, in ſumma urina natantem, nonnunquam viſam fuiſſe, narrant.

Quinetiam, Cullено, aliiſque medicis obvenerunt Diabete afflicti; quorum urina nullum ſaccharum ſolutum continebat, et inde certamen ortum; uterum hæ tantum Diabetis melliti varietes haberi debent, an prorſus diverſæ ſpecies, ſunt et diverſis penitus cauſis oriundæ: qui huic, tamen, præ altera, favent opinioni, hos magis ſequi adductus ſum: quia, non patet, urinam in his,

* Richter's Med. and Surg. Obſerv.

ut in aliis exemplis communibus, in aliquo morbi ſtatu ſaccharum omnino prodidiſſe.

Ut vera hujuſce morbi natura magis pateſcat, multum ad rem erit, urinæ qualitates explorare; et, ſi poſſumus, omnes varias dotes ejus, quam natura ita, præter conſuetudinem nova arte formaverit, ſummo cognoſcere ſtudio.

Si aliquis, per evaporationem, urinam exploraret, in reſiduo materiam, nonnunquam ſaccharum, quod nondum purificatum fuerit, referentem habebit; ſæpius tamen ſacchari fæcibus ſimilior eſt; et ab illis, non aliter, vel odore, vel ſapore, differt niſi quod, cum dulcedine mixtum, frigoris ſenſum quemdam in ore relinquit. Sæpe quantitas materiæ ſaccharinæ ingens reperta eſt: namque urinæ libra una plerumque continet unciam unam; et, haud infrequenter,

frequenter, parum abeſt, quin ea quantitas duplicetur *.

Acidum, etiam, ab hoc extracto, eandem rationem, ac in parando a ſaccharo, aliiſque rebus ſimilibus ſecuti, oxalicum habituri ſumus †.

Hæc urina nec igne, nec acidis, coagulari poteſt ‡. Sua ſponte, tamen, fermentationem illam ordine facile ſubit, ex qua, vinum, acetum, ac putredo, oriri ſolent. Harum prima ſpecies multo facilius excitatur, ſi aliquid fermenti additum fuerit; tum urina in liquorem, cereviſiæ ſimillimum, convertitur; qui, deinde, diſtillatione facta, tenuioris ſpiritus natura ſeſe induit. Hoc, igitur, extractum, multis, quibus ſaccharum, ſimilibus dotibus præditum eſt; et, quia, in acidum oxalicum mutabile eſt, ex

 ejuſdem

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. ii. p. 74.

† Ibid. p. 85.

‡ Home's Clin. Exper.

ejuſdem fere elementis conſtare videtur. Ejus tamen natura, per artem chemicam, non ea cura adhuc inveſtigata fuit, ut, re vera, appareat in quo, a ſaccharo vegetabili, hoc extractum diſcrepat.

Sanguis quoque in hoc morbo, qualitates non ſibi a natura, in ſano corpore, datas nonnunquam proferre dicitur. Craſſamentum ſuperficie coriacea, colorem purpureum referente, plerumque tegitur *. Serum ſolito aliquanto parcius eſt, et ſero lactis ſimillimum †; et Dobſon clarus ſcripſit, ſe ſerum ſanguinis ſubdulce ſemel inveniſſe ‡; ſed idem nulli alio unquam ſeſe obtulit.

Probatum quoque videtur, ex experimentis Rollonis; ſanguinem ſani corporis, citius, quam in

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. i. p. 6.

† Zoonomia, vol. i.

‡ London Med. Obſerv. & Inq. vol. v.

in Diabete, ruere in putredinem. Aliquantum utriuſque foras, ſub dio, et eidem calori, expoſuit; ſanguis morbidus, per duos treſve dies, nihil aliud quam eum, qui ex fluidis animantium exhalare ſolet, odorem emiſit, mucoremque rancidum in ſuperficie contraxit; et, poſtea, ſeparato ſero, tota maſſa indureſcens, ſeſe forma reſinæ quadam induebat: quam, quidem, faciem, per quatuordecim dierum ſpatium, non amittebat; dum ſanguis ſani corporis, e contra, manifeſta putredinis ſigna, die quarto, edidit; et, die ſeptimo, ob fœtorem abjectus eſt.

SECTIO CADAVERUM.

Opiniones de ſede hujuſce morbi variæ quidem ac contrariæ ſunt; quippe, alius aliò, trahunt auctores; nec fere ulla nova lux, e ſectione cadaverum, orta eſt.

Renes

Renes, in hominibus hoc malo peremptis, plerumque inventi ſunt tumidi, flaccidi, colore ſubalbido, et odorem quaſi acidum diffundunt. Jecur ſæpenumero admodum eſt tumefactum; ſed, in homine Diabete extincto, cujus cadaver mortuum, ab Homio profeſſore, in ſuis Experimentis Clinicis, eſt deſcriptum, nulla ex parte læſum, ſed ſanum et intactum manebat. Glandulæ meſenterii et meſocoli, magnitudine præter naturam auctæ, apparent; vaſa omnia ſunt turgida, denſiora, ac, colore magis albeſcunt *.

Veſica urinaria multo capacior ſolito, et cum tunicis craſſioribus reperta eſt; et majores inteſtinæ ſæpe fæcibus induratis diſtenduntur †.

Hæc plerumque adſunt effecta, in humano corpore

* Home's Clin. Exper.

† Ibid.

corpore vi morbi edita, ubi, latentem, arte anatomia adjuvante, perquirimus cauſam; ſed, unde originem morbi liceat capere, incertum; et, in tam multa ſtrage mali, dicere, quid cauſa, quid effectus, perdifficile eſt.

DIAGNOSIS.

In hoc morbo ab aliis diſtinguendo, nulla res eſt, quæ nos in errorem ducere poteſt; ſi tantum ad ſymptomata propria, et maxime inſignia, nempe, fluxum urinæ, auctum et chronicum, magnam famem, et creſcentem ſitim, animum recte intenderimus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Res variæ, quæ a ſcriptoribus, ut cauſæ morbi, proponuntur, non mihi ſatis ad explican-

dum

dum originem, valere videntur: quod cuilibet earum non ſemper invarie conjunctus eſt Diabetes.

In hominibus ab aliis morbis debilitatis, ut febribus intermittentibus, quæ longum perſtiterint tempus, ex læſo jecore generatum fertur. Pariunt quoque, ut dicunt experti, morbum hunc podagra, et affectiones renum, ex calculis ortæ. Nonnunquam a frigore, præcipue cum humore corpori calenti admoto, oriri obſervatur. Sequitur etiam uſum liquoris ſpirituoſi intemperatum, et immodicam venerem. Aliæ quoque cauſæ additæ fuerunt, quæ morbum per debilitatem gignere potuiſſe, nullo modo, exiſtimari poſſunt; quarum ſunt aquæ mineralis potatio larga, et magna ſacchari, vel mellis quantitas conſumpta; aut cereviſiæ, cum ſucco abietis confertæ, (Anglice *ſpruce beer* dictæ) pleniores hauſtus. His omnibus rebus frequentius præceſſit fortaſſis morbo frigus

cum

cum humore *: hoc, tamen, atque omnia alia jam dicta, ſæpenumero extitere ſine morbo; et contra, Diabetes invaſit, neque precedentibus his, neque ulla alia re, cui præcipue originem referre poſſumus.

CAUSA PROXIMA.

Cauſa proxima Diabetis, ſicut et aliorum morborum, quamvis creſcente indies lumine ex ſcientia medica orto, jam adhuc in alta caligine merſa videtur. Verum eſt, quidem, varias morbi explicationes inſtitutas eſſe, quibus viri, ingenio, ac doctrina æque inſignes, ex rationibus, a principiis, prima facie, veris ac ſolidis, ductis, naturam vimque omnem morbi exponere voluerunt: ſed, eædem illæ explicationes, utcunque primo animadverſæ, aut eſtimatæ ſunt, ſed tamen, cum majore cura, perſcrutatæ fuerint fortaſſis

* Rutherford, Prælect. Clin.

taſſis nihil aliud, quam telæ, pulchra quidem fabrica, ac dedalea arte contextæ, ſed ſubtemine veri prorſus deſtitutæ, reperiuntur. Forſan, tamen, operæ pretium ſit, de his paulum amplius differere; quæ conjecturæ, in explicatione morbi, præcipue propoſitæ fuerunt, quibuſque maxima fides dabatur.

Explicatio prima de cauſa proxima eſt, quæ in chylificatione ſupponit defectum; quo male aſſimilatur cibus, inque fluidum animale haud rite convertitur. Huic opinioni præclarus ipſe CULLENUS favebat, quam cum propoſuit, ut veri ſimillimum, ſed, ad omnia explicanda minus idoneam, liberaliter agnoſcebat.

Huic explicationi primum objici poteſt; quod res ex qua veritas conjecturæ pendet, ipſa non ſatis probatur. Ea eſt conditio, (ut affirmatum eſt), viſcerum, quibus concoquitur cibus, ut juſta, ac legitima alimenti aſſimilatio, fieri

fieri non poteſt. Sed, multa extant exempla, ubi functiones concoctioni cibi miniſtrantes, æque turbatæ fuerunt; nec Diabetes ſequelatur: e contra, autem, hic morbus ſupervenit, aut functione ſtomachi non omnino, aut adeò parùm læſa, ut prorſus obſervantium effugerit ſenſus.

Præterea, hæc explicatio male concordat cum phænominis morbi; namque, ſi conceſſum fuerit aſſimilationem prave factam eſſe, ex cibo haud rite cocto, non facile apparet, quomodo inde major urinæ quantitas oriretur; vel unde, ejus natura, adeo mutata, veniret, quæ res alias, quas non in ſano corpore, vel etiam diverſis morbis laboranti, ſolutas tenet, arte chemica, exploranti ſemper oſtendit. Ad hæc quæ objiciuntur poſteriora, hoc quidem redditur reſponſum; ſaccharum in urina repertum, ſolum inde venire, quod ſanguini humano non ſatis aſſimiletur chylus; et, quoniam plurimum

ſacchari conditum habet hic liquor, urina inde excreta multo dulcior evadit, quam ſi chylus in fluidum animale rite tranſmutatus fuiſſet. Contra hæc, tamen, in promptu eſt argumentum; plus ſacchari in urina repertum eſſe, quam, aliquo tempore capto, in chylo exiſtere, credibile eſt; namque, in urina, per 24 horas reddita, unciæ 30 ſacchari extractæ fuerunt *. Hinc ſatis validum apparet deduci argumentum, ſaccharum, a quadam ipſorum renum conditione, elaboratum videri.

Hanc autem explicationem Diabetis in parte mutatam, cum rebus quibuſdam novis additis, ſuæque opinioni accommodatum, clarus Rollo nuper in lucem edidit; quæ fortaſſis, novitate ſaltem, ſi ob nihil aliud, ut majore inſpectaretur cura, certe quidem digna eſt; ſed, hanc Rollonis conjecturam ſuccincte et accurate verbis concipere, perdifficile eſt. In his, autem, quæ ſequntur, ſententiis, ut ab ipſo ſcriptis, colligi

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. ii. p. 74.

colligi poteſt. "This diſeaſe, therefore, we "alledge, conſiſts in an increaſed morbid ac- "tion of the ſtomach, with too great a ſecre- "tion and an alteration in the quality of the "gaſtric fluid, producing ſaccharine matter, and "which remains unchanged, by a decompoſi- "tion of the vegetable matter taken in with "the food, and a certain defect of aſſimilation "as connected with digeſtion, and which pro- "bably may be owing to an exceſſive activity "of the lacteal abſorbents, ariſing from the "peculiar ſtimulus of ſugar, in a ſeparate "ſtate, or other matter; but which may alſo "depend on a ſympathetic effect with the mor- "bidly-increaſed action of the ſtomach *." Hæc explicatio cauſæ morbi verbis adeo obſcuris concipitur, et ex partibus diverſis, et ſine ordine junctis, conflatur, ut mens diſtracta mihi, ſcriptoris ſenſum non bene comprehendere poteſt. At ſi recte hanc opinionem intelligamus,

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. i. p. 232.

ligamus, Rollo, ab assimilatione imperfecta venientem, cui ventriculi actione aucta absorbentiumque lactearum, et succo gastrico redundante, ac depravato causam proximam nobis statuere videtur. Huic tamen expositioni plura ac fortiora obstant, quam quæ præcedenti objici possent. Argumentum enim adhuc profertur nullum, quo res, quibus insistit conjectura, ipsæ probari possint, nisi major fames hoc ipsum probare habeatur; quod quidem fide haud dignum apparet, quia bulimia, et hypochondriasi afflicti, plus cibi, quam in Diabete ægrotantes, sæpe petunt; neque ab his urinæ quantitas aucta excernitur. Præterea, non intellectu facile est, quomodo, ex actione ventriculi aucta, aut vasorum chylumferentium, prava assimilatio oriretur; namque in tali re, nihil obstare videtur, quin perfectissima fieret. Sin, autem, affirmatum sit, assimilationem male factam, ex solo succo gastrico depravato, venire; tum hoc, et non major vis concoctionis,

pro

pro cauſa proponi debet. Deinde, hoc vitium ſucci gaſtrici vix ſatis manifeſtum apparet; pauca, ac leviora quidem, ad hoc probandum, argumenta adducuntur: ſed longe abſunt, quin fundamentum firmum, juſtæ explicationi, fidemque facienti, ulla ex parte, præberent. Præterea, ut jam ſupra dictum fuit, functione ventriculi minime læſa, Diabetes repente ſæpe ſupervenit. Poſtremo, veritati magis appropinquare videtur, ſi hunc cibi appetitum auctum et morbidum, potius ſequelam, quam cauſam morbi, poſuerimus; et, ad almæ naturæ curam benignam retulerimus, quæ, corpore, magna copia liquoris abſtracti, exhauſto, hoc modo dat operam, ne animal afflictum quid magni detrimenti caperet. Et nemini in dubium venire poteſt, quin hoc idem aliàs a natura fiat, cum viſcera, concoctioni miniſtrantia, non majore vi agere cœperunt; ſed, tamen, cibus largiùs eſt neceſſarie ſumendus, ut, quod amiſſum

magno

magno labore fuerit, defatigato, hoc modo brevi expleatur.

Hæ ſunt opiniones auctorum, qui noviſſime de hoc morbo ſcripſerunt, quibuſque maxima fides data eſt; quare non facturus operæ pretium ſum, ſi alias ſcriptorum conjecturas, vagas quidem et magis incertas, de cauſa proxima Diabetis, narrraverim.

De omnibus quæ proponuntur cauſæ Diabetis, hoc jure dicendum puto; nullam adhuc oblatam; cui, quæ objiciuntur, non multa appareant. Ea tamen conjectura, quæ nobis veritati proxima videtur, in renum ipſorum actionem imponit cauſam, neque hæc, ad omnia morbi phænomena explicanda, idonea haberi poteſt.

Res, igitur, adhuc eſt perobſcura; ſed ea celeritate creſcit ſcientia phyſiologiæ, quæ ab

arte

arte chemica pendet, ut naturam, et cauſam Diabetis per eam exploremus, brevi ſpatio ſperare licet.

RATIO SIGNORUM.

Etsi cauſa morbi proxima parum cognita ſit, ac inde multa ſigna inexplicabilia; nonnulla, tamen, exponere, juſtaſque ad cauſas referre, poſſumus; quorum hic ſumma capita legere, haud fortaſſis inutile videbitur.

Magna ſitis, fauces aridæ, et ſicca aſperaque cutis, ad ſalivæ, perſpirationiſque per cutem, minorem quantitatem ſecretam referenda ſunt: cujus quidem facilis eſt interpretatio; quando jam omnibus notum eſt, quo abundantior liquor aliquis ſecretus in una parte, eo parcius alibi, in humano corpore, ſecernitur. Eidem quoque cauſæ, ſecretionis nempe vitio, inſoliti

caloris ſenſus, in abdominis viſceribus, attribuendus eſt; quod ibi, qui ad humectanda viſcera ſufficiat, non ſatis liquoris effunditur.

Ad magnam urinæ quantitatem formandam, aliæ ſecretiones, vel diminutæ, vel ſuppreſſæ, perneceſſarie videntur; ſed, qua vi amiſſa, vel nova addita, a ſolito curſu abſtracta eſt ea ſanguinis pars, ſingulis ſecretionibus materiam præbitura, non facile apparet: ſed, cum urina omnibus, et ſolidis, et liquidis, ingeſtis major ſit; duæ explicationes ad rem ſolvendam propoſitæ ſunt; una, cutem combibentem aquam, altera pulmones eam fabricantes, præ ſe fert. Priori, autem, harum opinionum, quæ fortiter pugnant, multa objiciuntur. Per experimenta a Gerardo, jam ſupra dicto, inſtituta, apparet, vel non omnino, vel perparcè, cutem abſorbere; adeo, ut urinæ, de quo agitur, originem ita explicari non poteſt. Enim, virum quemdam, Diabete laborantem, in balneum tepidum

dum, aqua ad centeſimum thermometri Fahrenheiti gradum calefacta, deſcendere, ibique, decem aut quindecim temporis puncta, manere, juſſit; ac, etſi pondere et intrantis balneum, et aqua egredientis, quam accuratiſſime, notato, nihil tamen, poſtquam per aliquot hebdomadas ita factum fuiſſet, variari in pondere videbatur. Quod, quidem, argumentum certum eſt, aut non omnino in hoc homine, aut parciſſime, abſorptum fuiſſe; cum etiam huic rei omnia maxime favebant. Altera tamen opinio, quæ urinam ingeſta quantitate ſuperantem, per aquam, a pulmonibus abſorptione derivatam, explicat, multo veri ſimilior eſt; ac virum ingenioſum, et apprime doctum, profeſſorem Rutherfordum pro auctore habet. Ille ratus eſt, aërem oxygenum, in pulmones receptum, ibi hydrogeno ſuperanti occurſantem, in unum coire; unde generatur aqua, quæ, per venas lymphaticas in vaſa ſanguifera tranſmiſſa, urinam Diabeti-

cis auget. Hæc explicatio, et ſimplex, et elegans eſt, et omni fide digna, quæ ulli opinioni, non experimentis confirmatæ, tribui debet.

Anaſarca quæ Diabeticis ſæpe ſupervenit, abſorbentium atoniæ, ac debilitati, quæ tum totum pervadunt corpus, eſt referenda.

PROGNOSIS.

A VARIIS exemplis hujuſce morbi, quæ conſiliis, et præſcriptis Rollonis, feliciter terminata fuerunt, bonum et fauſtum exitum huic malo expectare licet; etiam, cum multum proceſſerit morbus, corporiſque vires labefecerit, quod, jam debile, et tumidum, extrema macie eſt confectum. Simul, tamen, res poſtulat, ut æger ſumma cura admoneatur; multum ex ſui animi firmitate pendere; ne ab inſti-

tuta

tuta medendi ratione, ullo tempore, decedat. Dignum quoque memoratu eſt, in hoc morbo, rem in melius verſuram eſſe, cum quantitas urinæ nimia decreſcere, dulcedoque deponi, ac cum liquori excreto, ſpecies doteſque propriæ, quas in ſano corpore exhibet, omnes reſtitui cœperunt. In tranſitu, tamen, a morbida ad conditionem ſanam, urina multas ac varias qualitates oſtendere fertur. Hæ accuratiſſime a Gerardo Liverpoolienſi deſcriptæ ſunt, qui, poſtquam urina quantitate minor fere dimidium ſacchari amiſerat, ait: "It was, beſides, of a paler "colour, and more like thin honey; after ſtand-"ing till the next day, a kind of cryſtallization, "or granulation appeared, adhering to ſome "parts of the baſon it had been put into, form-"ing prominent points. This increaſed ſo faſt, "that in forty-eight hours after, it became one "ſolid maſs, of the conſiſtence of beef-fat that "has been melted and become cold again, "and in colour much like ſuet, feeling unc-

"tuous,

" tuous, but diſſolving entirely in cold water, " and in a moderate heat melting again, and " forming a tranſparent ſubſtance very like " barley ſugar, but ſomewhat browner; it is " of a mixed ſmell, betwixt urinous and ſac- " charine, but chiefly of the latter*." Præter has, quas ſubit urina, mutationes, alia redeuntis ſalutis ſigna ſunt. Sitis immodica, ac deſiderium cibi nimium, jam minus urgent; aſperitas cuticulæ ſponte decidit, ac cuti ſubjacenti humidæ ſua mollities et ſpecies reſtituuntur. Evaneſcunt et pallor oris, et ſqualor oculorum; ac corporis et magnitudo, et vires ſimul, ægro creſcunt. Ea igitur ſigna ſunt, quæ præcipue ægris miſeris ab hoc malo bonum portendunt.

In his autem exemplis, ubi febris hectica ſedem fixam occupâſſe videtur, ubi deſiderium cibi auctum penitus ceſſavit, ac æger faſtidit victum

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. ii. p. 75.

victum, jam nulla vis manet, qua corpus morbo absumptum reparari potest, adeo ut mors sæva vitæ laboribusque omnibus ægri finem cito imponit.

CURATIO MORBI.

Quod adhuc Diabetis causa proxima obscura est, eo, ex necessitate venit, ut ratio medendi sit magis incerta: quippe, qui causam morbi parum cognoverit, aut male intellexerit, is nullam curandi rationem certam instituere potest. Quædam tamen remedia, quibus hoc malo laborantibus feliciter succursum fuit, inventa sunt usu: de his, igitur, ordine pauca differere, variasque virtutes, quas experientia monstraverat, notare constituimus.

Quia cutis in Diabete est arida, et, occlusis spiraculis, perspiratio suppressa, quidam medici

dici, Diaphoretica, ut bonum remedium, propoſuerunt; ideoque, balneum tepidum, ac pulvis ipecacuanhæ compoſitus, præſcripta fuerunt. Sed hæc medicamenta, etſi laxaverant cutem, ſudoriſque reſtituerant fluxum, tamen, aliter ac plerumque evenit, nimiam urinæ quantitatem non omnino minuebant *.

Emetica etiam ægrotantibus exhibita, multum, pro tempore, morbum levarunt; et idem quoque ex omni inteſtinorum turbatione, aut motibus inſolitis, oriri obſervatum fuit. Hujuſce remedii uſum inſigniter laudat Richterus, quando affirmat, ſe vidiſſe hominem, qui, poſt doſin ipecacuanhæ ſumptam, per viginti quatuor horarum ſpatium, de hoc morbo, prorſus liberatus fuerat †.

Remedia aſtringentia, et quæ partibus ſoli-

dis

* Home's Clin. Exper. p. 345.

† Richter's Med. and Surg. Obſerv.

dis tonum, firmitatemque tribuunt, hoc morbo laborantibus data fuerunt, adductis ea opinione medicis, Diabeten, non a renum, ſed totius corporis, debilitate pendere. Inter hæc, præcipue mentione digna ſunt, gummi kino, catechu, alumen, cortex Peruvianus, balneum frigidum, ferrum, et exercitatio. Horum, autem, in aliis exemplis bonum, in aliis vero, malum ſequebatur uſum.

Medicamenta ſpaſmum ſolventia, in hoc loco, non ſunt prætereunda. Opium urinæ quantitatem multum minuiſſe dicitur; cum grana tria, quartâ quaque hora, ſumpta fuiſſent *. Eodem conſilio, antimonium tartarizatum, et valeriana, data fuerunt, ac morbum, diebus decem, pepuliſſe ferunt †.

Stimulantia etiam data fuerunt a nonnullis

* Zoonomia, vol. i.

† Richter's Med. and Surg. Obſerv.

medicis, qui, ex tubulis uriniferis laxatis, ac paralyſi affectis, morbum venire credebant; et inter hæc, primum locum occupat tinctura cantharidum; quæ, a guttis 10 ad 30 bis in die exhibita, nonnihil afflictis auxilii attulit *.

Demulcentia quoque in auxilium accita, ab iis, qui hunc morbum debellare voluerunt; his enim, ut opinio tenet, ſecretionibus tenuioribus reſiſtitur, et acrimonia, aut correcta, aut ſublata eſt. Talia ſunt mucilago gummi arabici, ſago, oſtreæ †; et Briſbane dixit, ſe emulſionem, quæ multum profuit, ex amygdalis dediſſe.

Mercurius, et acidum nitricum, apud Indos Orientales, per Scottum Bombayenſem, Diabete laborantibus exhibita, morbum viciſſe dicuntur; hoc vero remedium, non adhuc ſatis expertum,

* Briſbane's Select Caſes.

† Home's Clin. Exper.

expertum, ut virtutes, aut cognoſci, aut probari, poſſent; illud autem alterum, ut bene notum eſt, in curando morbo, ſpem ſæpe fefellit.

De his omnibus medendi rationibus, jure forſan obſervari liceat, nemini, vel perpaucis tantum, bonam valetudinem, horum ope, penitus reſtitutam; ſed, in multis exemplis, plurimum utentibus profuiſſe, brevique vitæ ſpatio nonnihil addidiſſe fatendum eſt.

Qua via, feliciter Diabeti obviam itum eſt, ea ſola, in abſtinendo ab omni alimento vegetabili, conſiſtere videtur; et in carnibus ſolis veſcendo, vel aliis, quæ ſemper animalia dant. Hæc morbi hujuſce curandi ratio nuper a Rollone inſtituta fuit, quamque feliciſſimus exitus ſequebatur; ac hunc ducem alii medici clari ſequentes, multa etiam fauſta ſalutis,

his rebus comparatæ, exempla ediderunt *. In hoc loco etiam obſervare licet, DUNCANUM, Profeſſorem clariſſimum, quum adipoſa Diabetico, 20 annos ante, dediſſet, lætum eorum uſum ſequi eventum, obſervaſſe; namque, cum ſiti imminuta urinæ quantitas multo parcior reddita fuit.

Priuſquam ad hoc remedium confugiendum eſt, haud inutile fortaſſis erit, ventriculum contentis crudis, indigeſtiſque, exonerare vomitu, et emeticum, per occaſionem, repetere; dum cibi deſiderium inexplebile ægro permanſerit.

Variari quoque debet in genere victus, variæ ſpecies carnis, adipoſæ, et rancidæ, ac præcipue porcina (ſecundum Rollonem) adhibenda eſt; ſed melius fortaſſis, ut MONRO claro videtur, veſcitur piſcibus †; namque hi, in putredinem ruentes,

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. ii.

† Prælect. Anatom.

ruentes, magis etiam a vegetantibus diſcrepant. Parcius quoque, ac ſæpe, ſumendus eſt cibus, ne æger faſtidio captus ſit; quod ante quidem plerumque evenit, quam longe in hoc regimine perſeveratum fuit; et adeo cupidus ſit ille, qui ægrotat, vegetantium, ut hoc nonnunquam pro ſigno, morbi naturam indicanti, habetur *. Sed error fortaſſis videatur, cum, hoc deſiderium talis cibi, ab alio longius ſumpto, facile venire poſſe, reputemus.

Quum jam per aliquod tempus ita perſeveratum fuerit, dolores ventris, ac diarrhœa, interdum ægrum invadunt; quibus, remediis abſorbentibus, ac tinct. opii, bene reſiſtitur †. Multum ad ſalutem ægri conducet, ſi parce bibat, ac ſi potus, quam rariſſime ut fieri poteſt, ex vegetabilibus paratus ſit; aqua pura fortaſſis, rebus omnibus anteferenda eſt; ſed ſi luxurioſe vivere

* Rollo's Caſes of Diabetes, vol. ii. p. 123.

† Ibid.

vivere assuetus sit æger, pauxillum spiritus ardentis addere licet.

Jam antea observari debet, urinæ quantitatem ex mentis ægrotantis conditione mutata, multum variari; quippe, cum æger erectus spe, bonam valetudinem brevi redituram, confidenter expectat; minuitur tum urinæ quantitas, et omnia bene, aut vice versa, omnia male, procedere observantur *.

Aliud remedium Rollo in auxilium suum vocavit; quod, quidem, aquæ ammoniæ puræ (Ph. Lond.) aërem hepaticum consociando, paravit; et nomen ammoniæ hepatizatæ ab illo inditum est. Huic medicamento magna vis sedativa, ac narcotica, inesse dicitur; qua de causa, ad actionem auctam ventriculi creditam minuendam, datur; sed adhuc dubii eventus, ut opinor est, quando nunquam, nisi cum cibo animali,

* Rutherford, Prælect. Clin.

animali, datum fuit; quem quidem, ſine ulla alia re, multum prodeſſe, ſatis compertum habemus. Circa tres guttas, quæ ter quaterve dentur in die, ammoniæ hepatizatæ doſis eſt, quæ ſenſim ad 12 vel 14 guttas augeatur. Sin autem, plus ſatis ejus datum fuerit, inde ſigna peſſima, ac periculoſiſſima ſequuntur, ut ingens dolor capitis, vertigo, nauſea, ac multo tardior ſolito pulſus: quare, in adminiſtrando, ſumma cura habenda eſt.

FINIS.

BRITISH MUSEUM